



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Variorum In Europa Itinerum Deliciae

Chyträus, Nathan

[Herborn], 1599

VD16 C 2803

Gallica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)



GALLICA.

PARISIENSIA. IN LUTETIAM JUL. CES. SCALIGER.

P Rancigena princeps populosa Lutetia gentis,
Exerit immensum clara sub astra caput.
Hic civis numerum, ars precium, sapientia finem
Excuperant, superant thura, precesq; DEOS.
Audiit, obstupuitq; hospes: factusq; viator
Vidit: & haud oculis credidit ipse suis.

INSCRIPTIONES PARISIENSES. IN PALATIO PARLAMENTI.

Ad dextram.

Facite iudicium & iustitiam. quod si non audieritis hoc, in me iuravi, dicit Dominus, quod deserta erit domus hæc. Jerem. 22.

Ad sinistram.

Videte Iudices quid faciatis. non enim hominis exercetis iudicium, sed DEI. & quodcunque iudicaveritis, in vos redundabit. 2. Paralip. 19.

IN S. MARCELLI.

Hic jacet Magister Petrus Lombardus, Parisiensis Episcopus, qui composuit librum sententiarum, glossas Psalmorum & Epistolarum. cujus obitus dies est XII. Kal. Augusti. mortuus est anno 1164.

IN S. VICTORIS.

Discite mortales fortis memoranda suprema
 Fata, quibus mors est indita, vita brevis.
 Nobile Pontificum decus hac Reginaldus in urna
 Occubat exilii contumulatus humo.
 Parisia quondam presul celeberrimus urbis,
 Fatali ad superos sorte vocatus obit.
 Quisquis ades, sic te fragilem memorare viator.
 Mors est certa, brevis gloria, vita nihil.
 Obiit anno supra M. C. C. LVIII.

In armamentario regio.

Æthna hac Henrico Vulcania tela ministrat,
 Tela Giganteos debellatura furores.

IN S. MATURINI.

JOH. DE SACROBOSCO.

De Sacrobosco qui computista Johannes
 Tempora discrevit, jacet hic a tempore raptus.
 Tempore qui sequeris, memor esto quod morieris.
 Si miser es, plora: miserans pro me precor ora.

IBIDEM ROBERTI GANGUINI
Historici.

Illustris Gallo nituit qui splendor in orbe,
 Hic sua Robertus membra Gaguinus habet.
 Si tanto non sava viro Libitina pepercit;
 Quid speret docti cætera turba chori?
 Anno 1501. 22. Maji.

IN S. VICTORIS; PETRI
Comestoris.

Petrus eram, quem petra tegit: dictusq; Comestor.
 Nunc conedor. vivus docui, nec cesso docere
 Mortuus, ut dicat, qui me videt incineratum,
 Quod sumus, iste fuit, erimus quandoq; quod hic est.

Mm iiij.

IBIDEM.

M. ADÆ DE S. VICTORE.

*Hæres peccati, naturâ filius iræ,
 Exiliq; reus, nascitur omnis homo.
 Unde superbit homo? cujus conceptio culpa;
 Nasci pœna; labor vita; necesse mori est.
 Vana salus hominis, vanus decor, omnia vana,
 Inter vana nihil vanius est homine:
 Dum magis alludit presentis gloria vitæ;
 Præterit, imò fugit: non fugit, imò perit.
 Post hominem vermis, post vermem fit cinis, heu heu
 Sic redit in cinerem gloria nostra simul.
 Hic ego qui jaceo miser & miserabilis Adam,
 Unam pro summo munere posco precem,
 Peccavi fateor, veniam peto, parce fatenti,
 Parce pater: fratres parcite: parce Deus.*

IN SUMMO TEMPIO.

*Quem cathedra decoravit honor, quem sanguis aruitus,
 Quem morum gravitas, hic jacet Odo situs.
 Præsulis hujus erat, quod habent hæc tempora rarò,
 Mens sincera: manus munda: pudica caro.
 Lenibus hic lenis: toga nudis: victus egenis:
 Vita fuit juvenis clara, probata senis.
 Bis sexcenteno Christi quartoq; bis anno
 Tredecimo Julii transit Odo die.*

IN FRANCISCANORUM.

ÆGIDII MÆSTRE, PRIMI IN SUPREMO
 senatu, æquitatis religiosissimi & publici aman-
 tissimi, epitaphium.

*Præses eram: præses morior: post funera præses
 Permaneo, recti fama perire nequit.
 Antè loco pelli, vitæq; pericla subire,
 Quàm sacra mutari patria sustinui.
 Nil regem offendi, nil legem, nil quoq; mentem,
 Utq; prius constans, integer emorior.*

Vive

*Vive meo exemplo quisquis succedis honori,
Mortuus & vivus tum bene clarus eris.*

IN TEMPLO S. AUGUSTINI AD SEQUANAM
facellum ædificavit Philippus Comineus Histori-
cus; ubi ipsius & uxoris imago expressa: & ibidem
est epitaphium D. Johannæ de Cominis
filix Philippi Cominei.

*Quingentis annis, bis septem & mille peractis
In lucem quartam post idus Martius ibat,
Octavamq; parens Phœbus properabat ad horam,
Communia occubuit generosa à stirpe Johanna,
Penthebris Comitiss Britanni sponsa Renati,
Atq; Argentonii domino prognata Philippo,
Chambeaq; Helena, mens hic in pace quiescat.*

IN COELESTINORUM.

*Hoc tecum illustris Pario Ludovico sepulchro,
Juncta Valentina conjugis ossa cubant.
Emerito Insubris tibi jura ducalia sceptri,
Tradita legitima præmia dotis erant.
Subjacet & Carolo clausus cum fratre Philippus,
Inclita jam vestri pignora bina tori.
Magnificus Carolo nascens Ludovicus ab alto
Hac posuit larga busta suprema manu.
Sforciadem indigna pepulit de sede tyrannum,
Et sua qui Siculas sub juga misit opes.
Ut tantos decorata duces Aurelia jactat:
Gallica sic illo sceptrum tenente tument.*

*Quis tumulum posuit? regum rex maximus ille
Filius, & regum rex Ludovicus honor.
Quando post Ligurem, Insubrem, Siculumq; triumphū,
Post captos reges, Sforciadasq; duces.
Quis jacet hic? magni heroës, Ludovicus & uxor
Alma Valentina, regia progenies.
Aureli proceres, Carolus cum fratre Philippo.
Ille avus, illa avia est: hic pater, hic patruus.*

M m v

*Qui genus? á Francís studium quod? regna tueri,
 Bellaq; sanguinea sollicitare manu.
 Qua mulier? Ducis Insubris pulcherrima prole
 Ius Mediolani sceptráq; dote dedit.
 Vivere debuerant, propter facta inelyta, semper
 Debuerant: sed mors impia, cuncta rapit.
 Hos ergo rapuit proceres? non, corpore tantum.
 Semper erunt anima, gloria semper erit.*

Ludovicus Rex XII. quieti perpetue, & memorię per-
 enni, illustrissimorum Principum Ludovici avi, Valen-
 tinę avię, Caroli patris, piissimorum pientissimorumque
 parentum, ac Philippi patrui. Feliciter M. D. III.

 SUB PONTE SEQUANÆ.

*Jucundus geminos posuit tibi Sequana pontes,
 Hunc tu jure potes dicere pontificem.*

 IN LAUDEM PARISIORUM.

ARCHITENII EPIGRAMMA.

*Parisius Cyrrhea viris, Chrysea metallis:
 Græca libris: Inda studiis: Romana poetis:
 Attica terra sophis: mundi rosa: balsamus orbis:
 Sidonis ornatu: sua mensis, & sua potu.
 Dives agris, fecunda mero, mansueta colonis,
 Messæ ferax, inoperta rubis, nemorosa racemis:
 Plena feris: piscosa lacu: volucrosa fluentis:
 Munda domo: fortis domino: pia regibus: atra
 Dulcis, amœna situ. bona qualibet, omne venustum,
 Omne bonum, si sola bonis fortuna faveret.*

 IN TEMPLO BENVIENTE.

*Est commune mori, nulli mors parcat honori.
 Debilis & fortis veniunt, ad limina mortis.*

APUD

APUD FRANCISCANOS IN SACELLO
ambulationis orientalis, in tabula aenea
litteris aureis:

EPITAPHIUM DN. NICHOLAI DE LYRA.

Defunctus loquitur.

Ne me ignores properans dum plurima lustras,
Qui sum, ex his nosces qua pedibus teris.
Lyra brevis vicus Normanna in gente celebris
Prima mihi vita janua sorsq; fuit.
Nulla diu mundi tenuit vesania natum,
Protinus evasi religione minor.
Vernolium admisit currentem ad sacra tyronem,
Et Christi docuit me domitare jugo.
Ut tamen ad mores legis documenta beata
Addita planaret simplicitatis iter,
Artibus ipse piis & Christi dogmate fretus
Parisi excepi sacra magisterii.
Et mox quaq; vetus, & quaq; recentior affert
Pagina, Christicolis splendidiora dedi,
Littera nempe nimis qua quondam obscura jacebat,
Omnis per partes clara labore meo est.
Et quos saepe locos occidens littera tradit,
Hos typicé humanis actibus exhibui.
Extat in Hebraeos firmissima condita turris
Nostrum opus, haud ullis comminuenda petris.
Insuper & nostri releguntur saepe libelli,
Quos in sena Petri quatuor arte tuli.
Est quoq; Colibetis non irrita gloria nostris,
In qua tu justus arbiter esse potes.
Non tulit hac ultra vitam proferre merendo
Omnipotens dominus, quo sumus & morimur.
A cruce tu cujus numeres st mille trecentos,
Adjungens una quattuor & decadas,
Illo me rapuit mors omnibus amula cyclo,
Cum micat Octobris terna vigena dies.
I jam quo tendis Nicholai illectus amore,
Quo doctore tibi lex referata patet.

IN COSMI.

Nobilissimo, piissimo, omniq̄ue disciplinarum genere cumulatissimo, D. Claudio Espencæo, Theologorum hujus seculi facile principi, paterno quidem genere ex clarissima Espencæorum, materno illustri Urfinorum familia orto, divini verbi præconi celeberrimo, pauperum patri benignissimo. qui cum per XLVI. annos continuos in hac prima omnium Academia literis humanioribus, Philosophicis & divinis operâ cum omnium incredibili admiratione navasset; à Rege Christianissimo Francisco I. Melodunum, ab Henrico II. Bononiam, à Francisco II. Aureliam, à Carolo IX. Possiacû, inter religionis primos hujus augustissimi regni proceres, partim legatus, partim orator, de re Christiana sanctissime doctissimeq̄ue disputasset; permultos in sacrosanctam scripturam commentarios edidisset; tandē gravissimo calculi morbo diu multumq̄; vexatus, cum omnium principum senatorum, nobilium plebeiorumq̄; luctu ac desiderio obiit, anno ætatis LX. die V. Octobris, M. CCCC. LXXI.

Guido Gassarus Flaminius Prior sanctę Fidis apud Columerios, ejusdem amanuensis, & per annos XVII. negotiorum gestor devinctissimus, hanc effigiem cum suo elogio pię domini charissimi & benignissimi memorię erigebat, & mœrens ponebat, anno M. CCCC. LXXII. die ultima Januarii.

APUD FRANCISCANOS IN
choro interiori.

Guilielmo Frölich, nob. ac stren. equiti: prudenti Soluturenf. civitatis Senatori: legionum Hel. trib. ob eximias animi virtutes, resq̄; præclarę gestas civibus universęque patrię acceptiss. qui cum XI. annos stipēdiis regiis magnæ animi alacritate militasset: ter signis collatis conflixisset: suos veteranos magno discrimine (nationi alioqui fortiss. insuetum) per æquor in Italiam trajecisset: tandem sexagenarius, cui quiescendum erat, ut eadem perpetua animi constantiâ erga Francorum Reges persisteret, præfectus XXI. signis postremó in Gall. rediit, ubi Lutetię fatis cõcellit.

cessit. Eius cives & cognati, (quorum é numero patruelis ipsius Capitan. Guilielmus Tuggnierus, cogno. Frölich, primus fuit) gratiss. pientiss. animis funus mortemque profecuti: hoc monumentum posteritati, in memoriam heroicæ virtutis, mœsti ac mœrètes pos. anno M. D. LXII. die IV. mens. Decemb.

IBIDEM IN MURO TEMPLI

septentrionali.

Reginaldo Dangernero equiti fortiss. cum strenuam operam in omnibus bellis Carolo VIII. & Ludovico XII. regibus Gallis navasset: & ad senium usque sancté & prudenter, cum summa apud omnes gratia, vixisset: ex labore ad quietem, ex brevi ævo ad perpetuum, cum summo tamen omnium, præfertim nobilium, mœrore crepto: Vincentius F. memor patrem æqua cum reliquis mortalibus lege natum, ut omnibus horis mori posset, memoriam, non luctu, aut ægritudine, sed pietate ut coleret, paterni beneficii ergo posuit. Obiit M. D. XXX.

IBIDEM PROPE JANUAM

occidentalem.

M. ANT. Gallerato nobili viro, Cremona patria, equitum præfecto, Mauretæ ab incurforibus (dum Lugdunū Christianissimi Caroli noni Francorum regis jussu, belli commodo per expeditos equos peteret) ex insidiis trucidato, M. Ant. Martinengus de Columna, Villæ claræ Comes, sub cujus ductu tunc stipendia fecerat, amico militique dilecto mœrens posuit, ne maximæ inter eos benevolentia memoria aboleretur. Vixit annos XXVI. Obiit tertio nonas Aprilis, anno á partu virginis M. D. LXVIII.

IBIDEM IN MURO MERIDIONALI.

Hic situs est M. Ant. Herculani, Comes, in clariss. Italiae urbe Bononia ex Ill. Herculani familia ortus, ac sua ipsius virtute & probitate non minús quàm generis nobilitate clarus, qui huc peregré profectus, ut diversis regionibus, ac variis hominum moribus inspectis, majore

rem sibi rerum usum experientiamq; compararet; in medio vitæ cursu immatura morte præreptus fuit, magno sanè omnibus, quotquot illum norant, desiderio sui relicto. Vixit ann. xxxvi. mens. xi. Obiit ann. m. d. lll. mense Jan. die xv.

IN S. JACOBI POST SUMMUM
altare.

DEO IMMORT. OPT. MAX. ET CHRIS-
to Jesu hominum salvatori sacrum.

Joanni Fernelio Ambiavensi Henrici II. Galliarum Regis Consiliario, & primo medico nobilissimo atque optimo, reconditarum & penitus abditarum rerum scrutatori & explicatori subtilissimo, multorū salutarium medicamentorum inventori, veræ germanæq; medicinæ restitutori: summo ingenio, exquisitaque doctrina mathematico, omni in genere Philosophiæ claro, omnibusque ingenuis artibus instructo, temperatissimis sanctissimisque moribus prædito, socero suo pientissimo, Philibertus Bercotius supplicum libellorū in regia magister, magnique regis CONSILII præses, affinitate gener, pietate filius, mœrens posuit, anno à salute mortalibus restituta M. D. LVIII. Obiit xxvi. April. ann. M. D. LVIII. Vixit ann. LII.

APUD AUGUSTINIANOS IN
facello S. Joannis & Jacobi.

DEO Optimo Maximo, & diurnæ memoriæ Jani-
Jacobi Memnii, multis præclaris muneribus honoribusque perfuncti, Jurisconsulti antecessoris Tolozæ, prætoris urbani Lutetiæ Parisiorum, libellorum supplicum in regia magistri, & regii in consilio sanctiore Consiliarii, liberi mœstissimi posuerunt. Natus est Rupeforti in Aquitania. Obiit Lutetiæ Parisiorum, anno à virginis partu cIo Io Lxix. viii. Kal. Novemb. Vixit annos Lxxix. menses v. dies xiii.

Æternùm placida compostus pace quiescat.

IN JA

IN JACOBI ANTE CHORUM.

STEPHANO GOVARDI AB AMERON-
gen Ultrajectensi, Joan. ab Amerongen
Fr. mœstus posuit.

*Quisquis ad hoc venies non grandi aetate sepulchrum,
Disce, malo poteris doctior esse meo.*

Forma nemo sua confidat, nemo juventas

Lanificas nequeunt ista movere DEAS.

Nec juvat immensis didicisse laboribus artes,

Mors etiam doctis injicit atra manus.

Mi nihil illorum facilis natura negarat,

Et tamen obscuras cogor inire vias.

Securus miser exitii, ignarusq; futuri,

Vive memor leti: mors inopina venit.

Obiit Lutetia, ann. ætatis XXIII.

XIX. Novemb. ann. M. D. LX.

IN TEMPLEO B. VIRGINIS.

Paulus Emilius Veronensis, hujus ecclesiæ Canoni-
cus, qui præter eximiam vitæ sanctitatem quantâ quoq;
doctrinâ præstiterit, index atque testis est historia de re-
bus gestis Francorum, posteris ab eodem prodita. Obiit
anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo nono,
die quinta mensis Julii.

Τῷ Χριστῷ ἀπάντων σωτῆρι.

dicatum

Piis dormientium animis.

Nobili viro Joanni Volantio, quondam Neustriæ quæ-
storî diligentissimo, regiæque aulæ à secretis fidelissimo,
conjugi suo charissimo, Izabella Bruna, in certam resur-
rectionis spem fieri curavit 1556.

QUI LOQUITUR DORMIT.

Vitam transegi perfunctus honoribus amplis,

Displicui nulli, jam tibi munde vale.

Nunc cinis, at vivam, judex cum venerit, equus

Omneis ante suum sistere iudicium.

Joanni Volantio patri chariss. moerens
filius fecit.

Obiit 1550. 13. Cal. Septembris.

*Ludovicus Gayant, probus senator,
Quem nulla flexit unquam cupiditas,
Durum laborem qui respuit nunquam,
Qui populo vixit magis quam sibi,
Sepultus isto jacet in sepulchro.
Idem impiger lustra novem vixit,
Sed ter quinq; lustra natus decessit.*

Perpetuæ memoriæ Bernardus Fortia
Senator defuncti gener posuit. In-
terit die prima Octob. 1565.

IN COEMITERIO.

ΔΕΟΣ ΕΝ ΕΛΠΙΔΙ.

Jo. Cognetii V. impr. summæ piet. ac relig. agendis in-
cur. pupill. vid. & paup. causis patroni clariss. & frequen-
tiss. Radeg. item Ferrutiæ integerr. matris f. ac omnibus
mulieris fortis dot. insignitæ ciner. Angel. & Guill. fra-
tres, tam sanctis parētibus Deo grati & gloriæ, non admo-
dum exquisito opere hunc tum. pos. Virum uxor obiens
antevertit xvi. Cal. Febr. anno á restit. sal. M. D. XLII. cu-
jus obitu sol. matr. totus ille Christum spirans, Christo in-
spirante & ultro vocante, in sacerdotum ordinem coopra-
tus est, non ut sacerdotiorum reditu augetur, quæ sa-
pius oblata recusavit; sed ut sacræ illius victimæ jugi &
perpetua oblat. Dei spiritu & gratia auctior fieret. Is quo-
que, ut in otio nec otiosus, nec sibi vixit, excerpta multa
ex utr. Testam. Patrumq; comment. in unum vol. dige-
sit: cogitans, ut dicere solebat, sacerdotum, qui instructam
biblioth. non haberent, tantillo divinarum sentent. fasce
levare inopiam. Quæ omnia ne gratiæ potius & assentat.
quàm veritati tributa, viator, putes, testem omn. illius
temp. ordinum memoriam appellamus. Obiit Jo. Cog-
net. an. á partu Virg. M. D. XLVIII. ætatis LXXXII.

CRAINTE EN ESPOIR.

JACOBI

JACOBI CAGELLI REGIS ADVOCATI dignissimi.

*Quid tam frequentes huc amici curritis?
A me quid expectatis hiantes amplius?
Non sat loquuntur, clamitantq; marmora?
Nam quantus erat Cagellus, hoc tumulo jacens,
Non possum, Apollo non potest, non deniq;
Cagellus ipse, si resurgat, dicere.
Quanto ingenii splendore, quanta argütia,
Sapientia, scientia, eloquentia.
Quam magno animo, quam libero, integro, probo.
Quotquot fuerunt, temporibus omnes suis,
Si non superavit, continuat certé pares.*

Hæc vix proferebat Antonius Lapiteus
amicum illum lugens, qui decesserat
an. á servatis hominibus 1541. Aug.
Cal. 13. Optate illi quietem perpetuã.

A L I U D.

GENESIO de Luc. caufarũ in senatu procuratori peritiff. continẽtiff. & summæ fidei: in primis & Marg. Fourquaut uxori ejus castiff. piiff. q. quorũ impensa hoc sacellum primũ instauratum, deinde omni instrumento ad rem divinam necessario exornatum, postremó Jesu Christi servatoris memoriæ ex eorum voto consecratum est: quiq; ita in eo sibi, liberis, posterisq; suis sedes, sepulcrumque comparavere: Jacobus & Johannes eorum filii, testamentorumq; curatores, parẽtib; optimis eorumq; memoriæ faciendum ponendumq; curarunt. Vixit ille an. LXVIII. mortem obiit VI. non. Mart. an. á salute condita, M. D. XXIV. illa annum agens LIX. excessit é vita III. Cal. April. an. M. D. XXXV. post festum resurrectionis Christi. Perpetua in pace quiescant.

A L I U D.

Optimæ spei juveni Claudio-Valẽti Peutinger, P. Aug. D. Claudii J. C. filio, clariff. viri D. Chunradi J. C. nepoti,
Nn

qui studiorum causa hinc degens, immaturè moritur: mater filio dulciss. mœrens P. Vixit annos xv. mens. vi. dies xxv. Obiit anno Domini M. D. LIII. die vi. Novembris.

A L I U D.

HUGONI Myetæo, natalium splendore, & Jurisprudentia clariss. viro suo, Radegundis Molinia, uxor pietiss. novissimum hoc fidei pietatisq; monumentum posuit, ut is ob oculos positus, liberis suis primùm memoriæ sui refricet, deinde consanguineis, affinibus & amicis animam commendet: cæteros verò officii admoneat, quando eos fors eadem manet, tales in se, ubi decesserint, vivos; quales, dum viverent, in mortuos fuerint, experturos. Obiit v. Idus Decemb. M. D. XXXIV. hic in familiari Myetææ gentis sepulchro conditus.

IN TEMPLO S. OPPORTUNI.
FRANCISCI CONNANI.

*Uxor mœsta sui dum cernit busta mariti,
Tunc ternos amplexa, gēmens, in funere, natos,
Quid me linquis, ait, miseroq; dolore sepultam
Deseris o conjunx? Ab si nunc cara jugalis
Te tenet ulla tori; lacrymis gemituq; tuorum
Flecteris, hanc animam, quæso, rape, namq; perempto
Te superesse piget, nulla fruatur antè quiete,
Quam mihi fatales dissolvant stamina Parca.
Iamq; dolore amens tabesco, & tempora vita
Longa mea nec erunt: primisq; extinguar in annis.
Mors mihi grata foret, positura morte laberes.
Et nos una duos tandem teget urna: meusq;
Spiritus aeterno tecum potietur amore.*

J. A. D. TRO. AMIC. PIENTISS. POSUIT
Calend. Mart. M. D. LI.

*Mort est le corps de ceste ame vivante,
Qui ne reçoit maintenant que plaisir:
Et icy bas moy pouvre languissant*

No vii

*Ne viz que en dueil, douleur, & desplaisir,
Que doib je donq desormais plus choisir
Pour mon repos, & future allegence,
Si non la mort? de laquelle á loysir
L'heure i' attens, qui toutes recompense.*

IN S. SEVERINI.

REVERTATUR PULVIS IN TERRAM SU-
AM, ET SPIRITUS AD DEUM QUI
FECIT ILLUM.

Expecto donec veniat immutatio mea:

Dulciss. conjugii, matrique pientiss. Mariæ Curtinæ
Pomponiæ, in medio ætatis flore á musto partu ad in-
cæstum suis portum ereptæ. cujus cineres sex filiis sub hoc
famil. tumulo, maribus 4. feminis 2. obvolvuntur cha-
riss. marit. Petr. Crassinus Ablonius Sena. Paris. ac curta
supellex tenelli duo liberi, maternæ relliquiæ mas & fœ-
mina superstites tantisper, dum hîc in spe fata summissi
opperiuntur. piet. & hon. ergo posuere. Obiit 4. Calend.
Septemb. anno 1550. ætatis 26.

Tu precare viator his quietem.

Bonum est in silentiõ præstolari salutare Dei.

IBIDEM.

Nobilitate generis Comitum orientalis Phrisiæ & a-
nimi corporisque dotibus præclaro Dn. Ennoni de Em-
bda civitatis Embdenis Præposito ac electo Satrapæ, pro-
pter certam hujus corporis resurrecturi spem, ac in amoris
sinceri testimonium, avia materque pia unico suo filio,
qui hîc ex studiorum cursu, patriæ ac amicis omnibus ma-
gno cum luctu, anno ætatis suæ XXI. morte præreptus
est, hoc monumentum statuerunt. Anno Domini 1545.
18. Julii.

IBIDEM

*Quid fuerim, nostra hac recubans commonstrat imago,
Quid sim, quam teneo, putrida calva docet.*

Na ij

Peccati hanc nobis poenam ingenuere parentes,
 Hujus sed Christus solvere vincla venit.
 Nunc mihi viventi spes, qui fuit & morienti,
 Æternum corpus, quale habet ille, dabit.
 Peccati, fidei, Christi, hinc perspice vires,
 Ut te mortifices vivificetq; Deus.

ALIUD NOBILIS ANGLI.

Consors ô Turnebe tori dulcissime mœsti,
 Doctrina columen Palladis atq; decus:
 Ampla Deus dederat natura tempora vita,
 Esses ut toto clarus in orbe senex;
 Rumpuntur cita fata mihi, spes cum indolis esses,
 Non pejore loco nomina nostra fore.
 Oceano natale solum licet Anglia distet;
 Nos rogi unus habet, junxerat una fides.
 Lumen & accessit patris de stemmate nobis,
 (Imperii Anglorum namq; senator erat:)
 Ut vultum præter gravitas, corpusq; venustas
 Vestierat, mentem docta Minerva meam:
 Sic Turnebe mihi summo ducetur honori
 Sublato properé, te comitem esse rogi.

Ætas ipsius.

De semisse, triente annos, quadranteq; subduc:
 Octavas adhibe tres: ego binus eram.

Annus, mensis & dies obitus.

Si quatuor mediatæ cubes cubicæ: duo dupla,
 Si quadrequadres, sur solidæq; tria:
 Si noctes anniq; dies adjunxeris: horas
 Hebdomada abstuleris, bis quatuorq; simul:
 A Christo dabitur nato sic funeris annus;
 Sed mensem referent hi numeri, atq; diem:
 Per monadem superante diem mense: actus in unum
 Cum quadrante triens, sēs quipla quinq; creat.

Jacobus Lecheus Anglus, nobili adole-
 scenti, amico chariff. posuit.

DEO

DEO OPT. MAX. SACRUM.

Epitaphium Joannis Rayfii Patricii Franco-
furtensis ad Mœnum.

*Heu nimium propera praeceptus morte Joannes
Rayfius hoc tumulo conditur exanimis.
Germanus patriâ, Rheni prognatus ab oris,
Francforti patrio stemmate clarus erat.
Non laus ingenii, non virtus defuit illi,
Non constans vera religionis amor.
Et jam spes patria non parva, sed ultima stirpis,
Ni cita venisset mors, erat ille sua.
Ergo bonos tu quisquis amas, hunc plange viator:
Et velut ille opta te bene posse mori.*

I. R.

Obiit anno salutis M. D. L. die III.
Augusti, ætatis veró suæ 20.

ALIUD.

*Vir pietate gravis, veterum virtute probatus,
Cujus fatali nomen honore viget.
Ordine Patricio quem Francia terra coronat,
Noricus & sapiens ille senator erat.
Missus ad eximium Regem, regnoq; potentem,
Parisiis vita fata suprema subit.
Hujus in hoc placidè requiescunt ossa sepulcro,
Spiritus atheri contigit astra poli.*

Obiit vir præstans Sebast. Futerer.
Anno M. D. L. X. die XXVII. Julii.

CARTHUSII.

*Hanc rogo, quisquis ades, non admireris eremum,
Nec dicas: hæc sunt tecta superba nimis.
Regia sunt etenim viridis fundamina vallis,
Francorum jecit qua Lodoicus honos.
Rex primùm instituit, regum rex auxit, & auget,
Servabitq; suam tempus in omne domum.*

Nn iij

M. RICHARDI DE S. VICTORE.

*Ni tibi Parca ferox nocuit, qua stamina parvo
Tempore tracta gravi rupit acerva manu.
Plurima namq; tui superant monumenta laboris,
Qui tibi perpetuum sint paritura decus.
Segniter ut lento sceleratas mors petit ades;
Sic propero nimis it sub pia tecta gradu.*

ALIBI.

*Dirves opum Guido, forma, bonitatis & artis
Ditior, hocq; magis dirves honoris erat,
Plura darent superi, nisi fatum plura negaret.
Quo majora darent, transiit ad superos.*

ITEM.

Alberto Pio de Sabaudia, Carpensium Principi, Francisci Regis fortunam sequuto, quem prudentia clarissimum reddidit; doctrina fecit immortalem, & vera pietas cælo inseruit. Vix. Ann. 55. hærr. mœstiff. P. P. 1535.

IN SACELLO ÆDIS COELESTINORUM,
quod vocant Ducum Aurelianensium.

*Adsta viator, non leve est precium mora.
Hic grande parvo cor duplex jacet loco.
Regis Ducisq; Regis Henrici Ducis
Mommorancii Anna, per gradus qui singulos
Ad militaris ordinis fastigium
Pervenit, & res maximas sub maximis
Domi forisq; Regibus gessit, tribus,
Francisco & Henrico, ultimóq; Carolo.
Sed prapcipua quo singularis & fides
Inter Ducemq; Regem ac Henricum foret.
Testata; corda jussit amborum simul
Rex ipse poni pignus haud dubitabile,
Quod juncta eorum vita perpetuó fuit,
Hic juncta quorum mors habet vitalia.*

De eodem

De eodem Gallicé ibidem.

Cy deffoubs gist un coeur plein de vaillance,
 Un coeur d' honneur, un coeur qui tout scarvoit,
 Coeur de vertu, qui mille coeurs auoit.
 Coeur de trois Roys, & de toute la France:
 Cy gist ce coeur, qui fut nostre assurance.
 Coeur qui le coeur de justice scarvoit,
 Coeur qui le ciel honnora de s' enfance.
 Coeur non jamais ny trop haut ny remis,
 Le coeur des siens, l' effroy des ennemis.
 Cocur qui fut coeur du Roy Henry son maistre.
 Roy qui vouluit qu' un sepulcre commun
 Les enfermast apres leurs mort, pour estre,
 Comme en vivant, deulx mesmes coeur en un.

IBIDEM.

IN ANGULO AD PARIETEM.

D. O. M. S.

Siste parum & audi viator. In Anna Duce Mommorancio tanta fuit militaris scientia, & in tractandis ac explicandis negociis vigilantia, ut paulatim, tanquam per scalarum gradus virtutis ergo ascensum sibi ad honoris altissimum gradum paraverit: quem, dum vixit, tenuit honorificentissimé, cum Henrici II. Regis approbatione maxima. qui dum ipsam quam amplissimam a Rege Franco Patre consecutus erat Annas dignitatem, augere si potuisset, cogitabat, ut incomparabile ac pæné inauditum suum erga clariss. virum amorem declararet. Eum etsi plerique principes viri imminuere quibus poterant artificii conarentur; augebat tamé obrectatio amorem, ut nihil penitus de Jure publico aut privato statueret, quod Annæ non probaretur, ut jam unum animum in duobus corporibus facile cernamus. Quæ animorum & voluntatum firma conjunctio ut posteris monumento innotesceret memorabili; Henricus amborum corda in eadem jacere æde voluit. Igitur consentientibus Carolo IX. & Regina matre ejus, lectissima foemina, Magdalena conjunx, & Franci filius piiss. merentes PP.

Nn iiij

HENRICI II. CORDIS.

Pyramidos hujus si quis mysteria gliscit
 Nosse, sub ista suo cor pede Regis habet.
 Virgineos habet hac triplici sub imagine vultus,
 Ac Charites trinas signat imago triplex.
 Prima fidem propriè signat, spem ritè secunda,
 Tertia dilectam denotat esse Charin.
 Quas rex Henricus miro possedit amore,
 Has veluti sponsas notus habebat amans;
 Firma Fides Regis, Spes certa, Charisq; perennis,
 Nullis temporibus deseruisse virum.
 Hinc sit ut admixtas cernamus jungere dextras,
 Quòd nusquam fuerit Rex pius absq; tribus.
 Jure manus igitur conjunctas semper habentes
 Absq; tribus scandit nullus ad astra, docent.
 Carminis istius lectorem quemq; monebo,
 Hoc Regina suum cor cupit esse loco,
 Dum vita Lachesis presentes finiet annos,
 Et fuerit propria morte secuta virum;
 Ut quorum fuerit cor unum atq; una voluntas,
 Dum simul amborum mutua vita foret,
 Corporibusq; suis unum vivendo cubile
 Ut fuit, & vivis spiritus unus erat:
 Sic quoq; mors properans minimè divisit utrumq;
 Ut fuit illorum sic erit unus amor.
 Istius ergò rei sit pyramis optima testis,
 Qua simul amborum corda ligata tenet.

Distichon.

Hic sua rex, regina simul statuere reponi
 Corda, locus veri pignus amoris erit.

IN EODEM SACELLO.

Generosissimi CORDIS, illustrissimique ANNÆ primi
 Mommoranciorum Ducis, militum Galliae præ-
 fecti, & Franciæ Paris,

TUMULUS.

Quem tot magnificis celebrem Bellona triumphis
 Reddidit

Reddidit Heroem Marvorte ☉ Marte calentem:
 Quem tot virtutum titulis, senioq; verendum,
 Mente fideq; etiam dederat sors provida seclis:
 Quem tot bellorum casus, tot signa trophæis
 Ampla, tot exstructis spoliis hostilibus arcus,
 Tot currus, aquila, monumenta q; maxima rerum
 Victorem referunt extremos solis ad ortus.
 Quem ceu Scipiadem Reges timuere Ducesq;
 Dum patria multos peperit cum laude triumphos:
 Quem ceu Pompejum demissis constat ab armis
 Civilem petiisse togam, potiora quietis
 Armis dona ratum, portum spirantibus undis.
 Non cedens fato appensis ad carbasa remis.
 Annas magnanimus Dux Momorancius heros
 Occubuit, dum persequitur Regisq; Deumq;
 Hostes, Parisia constructoq; agmine tentant,
 Urbis pinnatos furibundi invadere muros.
 Sic pro Rege, fide, sic dum pro legibus arma
 Ferre parat patriis, libertatemq; tueri;
 Consilio senioq; gravis Dux occidit, astris
 Spiritus infertur, Parii sub marmore corpus
 Conditur exulto sacratum nobile busto.
 Pixide sceptrigeros queis deservivit in armis
 Henricum natumq; Duces, splendentia regna,
 Lilia Francorum generoso corde secutus,
 Quorum corda sacris bustis auroq; sepulta
 Exsuperans, tumulata suis amplectitur ulnis
 Calestina domus, turritam pignore Memphim.
 Ergo sit invictus Gallus si transeat hospes,
 Regibus aeterno cor junctum foedere Francis.
 Longarvique Ducis resoluta corpore mentem
 Æthereos adisse lares, nomenq; perenne
 Oceanum Boreamq; suis mandasse triumphis.

IN PACE REQUIES.

In pede columnæ.

Conjuncta amborum longum testantur amorem
 Ante homines, junctus spiritus ante Deum.

Nn v

Ludovici Ducis Aurelianensis.

*Quis sim, qua mea sit, si quæris, nosse propago?
 Clarior est, quàm quòd dicier hic sit opus.
 Regis ego proles & Regis origine frater,
 Regis ego patruus, deniq; Regis avus.
 Si rex non fuerim, mirari desine; Regnum
 Ante diem veniens mors inopina tulit.*

PHILIPPI CHABOTII.

D. O. M. S.

An viventi Heroi assidua virtute invidiam; mortuo verò continua sospitis VIRT. MEM. mortem propemodum ipsam superare, altiùs, hospes, ac perènius decus siet. Sed quid hoc hìc est, inquis? Utrumq; tibi fortissimi herois Philippi Chabocii Galliarum thalasiarchæ testatum esse, brevius forsan quàm fas fuerit, voluerunt manes. Cùm enim ille patrem habens Chabotianâ, matrem Luxemburgicâ stirpe editam; feliciter natus, educatus, excultusq; feliciùs, facundia præditus incredibili, Francisco I. Galliarum Regi augustissimo, Domino sua supra modum dilectus, triplici torquatorum equitû torque insignitus, Dux quoq; Gallicorum centû gravioris armaturæ Equitum utriq; in Francia mari occiduo ac Eoo præfectus, in Burgundia, cujus etiam pater dictus est, ac in Transalpina aliquandiu Gallia, quàm regalibus copiis solus imperans Regio pænè totam Imperio addixit, Prorex, præliis fortiter depugnatis compositisq; magnanimitate, fœderibus, tot rebus denique terra mariq; domi ac foris bene gestis claruerit, huic potissima fuit tum gloria, tum rediviva gloriæ celebritas, tantus ipsius virtutisq; Comitæ de invidiâ triumphus, ut sacræ instar anchoræ, vel more potius Herculeo, contra fluctus fortunam sisteret, & ex livore laudem ampliaret. Hoc vivus ille. Quod reliquû esse potest, patris reliquiis ut præstaret Filius pientiss. Leonorus Chabotius, magnus Franciæ Archippocomus; indelebile forsitan monumentum P. Satisne? Satis superq; ais. Bene ergo precatus abi, ac virtutem amplexans, invidiam disce atq; etiam mortem posse despicerè. VALE.

IBIDEM TIMOLEONTIS COSSÆI

Brisarvi Comitis epitaphium tale est.

D. O. M.

Viveret equidem, hospes, si nos boni amarent cœlites,
Gallicus, non abs re, nec certo absq; omine, Timoleon.
qui quantum genere, nobilitate, meritis ac gloria Corin-
thium illum alterum Timoleonem superavit; docet Cos-
sæorum cognomen atq; familia. fortissimus gloriosissi-
musq; tanti herois progenitor heros, Gallorum militum
tribunus, ac Transalpinæ Galliæ Prorex, cui nullo modo
sefe Timodemus cōferat: quin ipsi quoq; adolescenti tam
bene merito, cū aurata regii ordinis torque, in quinqu-
aginta gravioris armaturæ equitum turmam, nec non in
omnes ferè Gallicas veteranorum peditum cohortes da-
tum imperium erat; & simul validissimus decurio, simul
& legionum dux animosissimus foret, ipsa etiam, cui sefe
veluti devoverat, in Deum, regem, religionem ac patriam
pietas, rerum demum aliarum quæ singulis rebus sunt
comparandæ singulæ, iusta, perenniq; memoriæ confe-
randa commendatio, satis manifestavit. Cū autem hu-
jus longè dissimilem Timoleonta alterū reddiderit mo-
rum austeritas, egregii facinoris quo fratrem tyrannū in-
teremerat, iniqua pœnitētia, longum, cum à bello publi-
cisq; negotiis abstineret, otium, amicorū tamen pro Rei-
pub. salute cōtentus, virorumq; odium novum affectan-
tium, vel veterem exercentium tyrannidem, ac rerum in
Sicilia gnaviter, acriter, paucisq; etiam copiis gestarū ce-
lebritas, hunc ducem facile nostro assimilaverit. quem
adhuc adolescentem, tot audacibus ac felicibus gestis in-
credibilem consecutum gloriam; ac non modò Timole-
onta, sed & antiquos alios duces, si vivere licuisset, supera-
turum, ad Mussidanum tandem glande plumbea perem-
ptum, postquam piissima mater, veluti carum rarumq;e
florem sibi ante diem nefariè averruncatum, propemo-
dum exsternata deflevisset; ac suum, etiam totiusq; fami-
liæ dolorem publico sæpius luctu recrudescentem diutif-
simè pertulisset; non jam assiduo mœrore, sed æterno pie-
tatis testimonio, Timoleontis sui memoriam colendam

esse rata, non stelam aliquam brevem, sed hoc ingens illi
sempiternumq; argumentum gratè pienterq; pos.

Liberalis Deus, seculum funestum, im-
mortalis palma.

GENEROSISSIMI CORDIS, CHRISTIA-
nissimi Regis Francisci II. Galliaë Scotiaëq; Regis.

*Marmore Mygdonio saxum pilare superbum
Flammiferumq; ferens nobile stemma Ducis,
Exprimit Herois Francisci triste secundi
Cor lethi raptum faucibus ante diem.
Flammea cui meritò servire columna ferenda
Noscitur, igne etenim strinxerat ossa fides.
Hic velut Eoò rutilans carbunculus orbe
Pisteos intacta firma columna fuit.
Sospite quo semper sub tuto umbone quiesces
Galle, trophæa tui principis ampla gerens.
Grandibus astit rabies Stygiis agitata colubris
Infaustâ cœptis obviat illa nece.
Nam Rex accelerans fidei domitare rebellem,
Occidit, extincto corpore celsa petens.
O lugubris hymen, si nunc ô liliger Heros
Deseris orba pio Francica sceptrâ duce.
Corpore linqvis humum, tumulo sociatur amorum
Corde hîc concomitans corda paterna tuo.*

In craterem aureum Franc. II.

*Aurea secla orbifato cedente daturus
Inter ego eclipses splendidus exorior.*

In vico S. Antonii fons est, cum inscriptio-
ne, Anno 1577.

*Hanc deduxit aquam duplicem Biragus in usum,
Serviat ut domino, serviat ut populo.
Publica sed quanto privatis commoda, tanto
Prestat amore domus publicus urbis amor.*

RENATUS BIRAGUS FRANC. CAN-
cell. publicæ commoditati.

IN CATHARINÆ.

D. O. M. S.

Valentiæ Balbianæ matronæ clariss. atque ornatiss. cu-
jus anima salute & quiete fruitur sempiterna, corpus Re-
natus Biragus Franc. Cancell. conjunx. pientiss. uxoris be-
nemeritæ memor, hic condi curavit.

Ob. anno Christi 1572. Cal. Jan. Vix an-
nos 34. menses 6. dies 20.

IN ÆDE MATURINI.

CUJACI,

Balduinus hic jacet, hoc tecum reputa, & vale. Mortuis
vobis, Jurisprudentiam gravis corripit sopor.

FRANC. Bald. Jurisc. ob. anno æt. LIII.
XI. Novemb. à partu virginis 1573. Pa-
pirius Massonus Balduini auditor P.

IN TEMPLO S. ANDRÆ.

*Uxor cara sui condit dum mœsta sepulcrum
Conjugis, & cineri persolvit jussa recenti,
Bis senos complexa gemens in funere natos:
Nostri, ait, ô conjunx, qui nunc dulcissima amoris
Pignora discessu linquis, si cura jugalis
Te tenet ulla tori, lacrymis luctuq; tuorum
Flecteris, hanc tecum, ô tecum rape. namq; perempto
Te vitam moror invisam, & nunc ipsa perenni
Exsternata malo placidâ jam morte quiescam.*

IN COEMITERIO S. SEVERINI.

Anno 1557. die 9. Januarii, nobilitate, pietate ac virtu-
te præstans vir Georgius à Schönberg Germanus, ex hac
mortali vita placidè & quietè discessit, anno æt. suæ XXIX.

*Qui modò prælustri vixit Schönbergius ortu,
Ore decente, piis moribus, ingenio,
Heu jacet indignè viridi sublati in ævo,
Dum reditum ad patrios mors negat atra lares.*

*Quam tamen invicto toleravit robore mentis,
Ad superas certa spe comitante domos.*

AD VIATORES.

Eteostichon.

*Nuncne leves postquam liquit Schönbergius auras,
Cernis, ut extingui gloria nostra solet?*

 APUD TEMPLARIOS IN
interiori choro.

Habet interior Gallia longé antiquissimam familiam de Villiers Lisleadam, multis magnisq; rebus gestis clariss. regum amicitii celeberr. unde suis totiq; Reip. Christianæ prodiit tantis dignus natalibus Philippus, cuius modó viator monumentum cernis, honoris virtutisque ergo positum. hunc eó sua per gradus evexerunt merita, ut concordibus omnium votis in universum suum ordinem obtinens imperiū, ejus militiae magister fuerit, quæ Deo Opt. Max. est & Joanni Zachariæ sacra. cellam hanc vivens, ineffabili tetragrammati יהוה nomini, extra quod nulli salus, vir pius ac religiosus dicatam voluit.

PSAL. LXXXIX.

SUPERVENIT MANSUETUDO, ET
RAPIEMUR.

 ALIUD.

FRATER Philippus Kerleau Trecotensis, ex Salictorum promontoriis, in illa spectata Celticæ Galliæ peninsula claris ortus majoribus, ordinum ductore patre, patruo nec dum Diablinthrensi episcopo, Britannorū quondam ducum magnis de rebus apud externos principes oratore, ex primariis hospitalis Hierosolymitani militibus unus, nullis non laborum jactatus, quandiu vixit, actibus, dum molestiarum tandem superatis undique fluctibus, in portu victor frui quiete cœperat temporaria, vocatus est ad æternam. Sic homines casso labore, fortuna caduca, querula vita, terras incolimus.

PSAL.

PSAL. XVII. HABAC. III.

Ponet pedes meos ut cervorum.

Vixit integer ævi annos septuaginta, militavit hospitali duo de quinquaginta octo, præfuit his ædibus ubi obdormivit in Christo decimoquarto Julii, anno redemptionis millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto.

ALIUD.

Frater Robertus Daube, vulgo Rupe Martia cognominatus, in nobili ad Rhodanum oppido Arelate insigni familia natus, per omnes hospitalis militiæ gradus inter suos multa cum laude evectus, ad magnam tandem sancti Ægidii præfecturam devenit in provincia Narbonensi. demum per universam Galliam promagister creatus (honoris à magno militum magistro secundus) ad regem publico nomine legatus, rem sæpe tentatam, penèq; desperatam, sua prudentia perfecit. ordini suo scilicet à priscis quondam regibus irrogatorum privilegiorum specialem modò confirmationem, novorumque concessionem ab Henrico nunc rege consecutus. quum verò multis & gravibus exantlatis laboribus ad quietem se temporariam pararet, vocatus est ad æternam. Vixit ann. LXX. militavit ann. XL. præfuit ann. IV. Obiit in legatione Lutetiæ in ædibus templi, die sabbati v. Octobris, anno Christi M. D. XLIX. Commilitones & amici frater defuncto posuerunt.

Aliud alibi.

*Ci gist le seigneur de Manas,
Le quel de sa propre alumelle
Se tua, prenant ses esbats
Sur le corps d' une damoiselle.
Je ne scay apres son trespas
Lá où son esprit s' en alla.
Ma je scay bien, qu' on ne va pas
En paradis par ce trou là.*

S. DIONYSIACA.

Imperio Carolus Calvus, regnoq; potitus
 Gallorum, jacet hac sub brevitate situs.
 Plurima cum villis, cum clavo, cumq; corona
 Ecclesia vivus huic dedit ille bona.
 Multis ablati nobis fuit hic reparator
 Sequanii fluvii, Ruolliq; dator.
 Fut Roy de France en l'an. 841. jusq;
 á 879.

A L I U D.

Hic octave jaces Francorum Carole Regum,
 Cui victa est forti Brittonis ora manu.
 Parthenope illustrem tribuit captiva triumphum.
 Claraq; Bortronio pugna peracta solo.
 Cepit & Henricus, regno depulsus arito,
 Bellata auspiciis scepra Britanna tuis.
 O plures longinqua dies si fata dedissent,
 Te nullus toto major in orbe foret!
 Vix. an. 28. Ob. an. 1498. mensis Apr.
 d. 7. Opus Laganini Mutinensis.

IN DIVAM LODOICAM REGIS MATREM.

Alteraprogenie felix Berecynthia mater
 Hoc Mausoleo Diva LOYSSA jacet.
 Franciscum Regem peperit, sceproq; dicavit,
 Fortuna semper celsior ipsa sua.
 Fortiter ille acie pugnans cum sorte maligna,
 Seu fati invidia captus ab hoste foret:
 Regnum hac tantisper sine turba & murmure recit,
 Armis, consilio, justitia atq; fide.
 Dum postliminio regem, natosq; recepit,
 Et patrio plaudens restituit solio.
 Tandem inter Reges, sedando bella per orbem,
 Percussit pacis fœdera perpetua.
 Ferrea mox domito cesserunt secula Marte,
 Atq; atas Francis aurea sic rediit.

Cedit

*Cedite quondam Asia Regina heroides. una hæc
Terrarum imperio digna LOYSSA fuit.
At Franciscæ doles, quasi nil de matre super sit.
Desine. nam extingui gloria tanta nequit.
Officio in matrem si quis præcelluit olim,
Primas (vel Momo iudice) solus habes.
Jamq; pia umbra vale; inferias & iusta sepulchro
Solvimus: at mente vota precesq; damus.
Mens quippe ætherea Christo conregnat in arce
Felix, & superum vescitur ambrosia. 1531.*

CARLOTÆ VALESIAE, FRANCISCI FRAN-
corum Regis natæ maximæ sepulchrum.

*Carlota octavi metas properabat ad anni,
Cum pro se lacrymas liquit & hunc tumulum.
Qua nihil hac ætas præstantius indole vidit,
Aut quo penderet certius auxilio.
Tantum quippe inerat specimen virtutis amorq;
Ut fessa ingenti secula levasset ope.
Ecce Deo visum secus est: qui limine in ipso
Irrita, cum libuit, vota q; spemq; facit.*

IBIDEM.

*Hoc oriens, illo virtus provecta sepulchro
Clauditur: hoc nata, matris at illud habet
Ossa, brevi tantam jacturam fecimus. eheu
Condidimus natam matris in exequiis!
Illa decus, spes hæc orbis, duo sidera qua nunc
Ante Dei meritis sedibus ora micant.
Nos nostro interea premimur, Franciscæ, dolore
Atq; tuo, heu nullis rebus habenda fides!*

MEMORIÆ ÆTERNÆ

Optimi & mitissimi Principis CAROLINONI, Regis
Christianissimi: bonarum artium ingeniorumq; fau-
toris liberalissimi, & fidei ac Religionis Ca-
tholicæ propugnatoris acerrimi.

*Carolus exspectat loculo Rex nonus in isto
Supremi clangat dum tuba iudicii.*

Oo

Quem quicumq; bonus novit, bene luxit acerbè
 Extinctum, virum deperit tenerè.
 Leni adeò fuit ingenio, leni bonitate,
 Aspectu leni, lenior alloquio.
 Aspera enim cùm se virent circùm omnia in illum,
 Confluxit lenis quidquid ubiq; fuit.
 Nam puer ad sceptrum venit regale decennis,
 Annos quod tredecim dimidiumq; tulit:
 Continuis in proditionibus atq; periculis
 Belli intestini, & jugibus insidiis,
 Majorum dum sacra pius fortisq; tuetur,
 Nec pessum cultus ire pius patitur.
 Hæreticos reprimens caca ambitione rebelles,
 Numinis oblitos, Principis, & patriæ,
 Donec præcipiti fato tum desit esse,
 Heu quando potius debuit incipere!
 At tu pro tanto vera pietatis amore,
 Quaso bone, & tanta pro bonitate, Deus,
 Hunc facias numerum in calis augere bonorum,
 Et sedem manes inter habere pios.

A L I U D.

Bis septem totos bellum tibi iuge per annos,
 Quos Rex vixisti Carole, penè fuit,
 In desertores patria, telosq; rebelles,
 Dum pro aris pugnas fortiter, hæreticos.
 Sacrilegis quorum è manibus regnum asseruisti
 Ter varia raptum proditione tibi.
 Verùm hoc dum retegis scelus radicibus imis,
 Suppliciiq; reos afficis emeritos;
 Ecce nefas, prima moriens in flore juvena,
 Manè velut cùm sol deficit exoriens.
 Proh dolor, heu spes frustratas, & vota piorum,
 Ante diem cursu deficis in medio.
 Justitia & pietate tuam fulcire coronam,
 Nempe hoc, & duplex illa corona fuit.
 Qua pro mortali semper durabile cingit
 In calis capiti nunc diadema tuo.

Vixit

S. DIONYSIACA.

579

Vixit annos xxiii. menses xi. & dies
iii. Regnavit annos xiiii. menses
v. dies xxiiii. Obiit in arce Vicen-
natum 3. Cal. Junii, anno 1570.

IBIDEM SUB EFFIGIE REGIS
Dagoberti.

*Fingitur hac specie bonitatis odore refertus
Istius Ecclesia fundator Rex Dagobertus,
Justitia cultor, cunctis largus dator aris,
Affuit & sceleris ferus ac promptissimus ultor.
Armipotens bellator erat, velutiq; procella
Hostes confregit, populosq; per arma subegit.*

CAROLI MARTELLI.

*Ille Brabantinus Dux, primus in orbe triumphans,
Malleus in mundo specialis Christicolarum:
Dux dominusq; ducum, regum quoq; Rex fore sperans,
Non vult regnare, sed regibus imperat ipse.*

LUGDUNI,
IN ÆDIBUS TYPOGRAPHI
CUIUSDAM.

*N*olueris tibi qua fieri fac talia nulli,
Mutua ne referant qua modo presteris.

ALIBI SUB TABULA PICTA.

*Miraris dorso cancri consistere mundum?
Desine, sic hodie vertitur orbis iter.*

FONTIS IN CASTELLO
Orievieti.

*Quod natura huic munimento inviderat, hoc felix in-
dustria adiecit.*

Oo ij

ANDEGAVENSIA.
IN MAURICII.

JOAN. OLIVARII EPISCOPI
ANDEGAVENSIS.

JANUS Olivarius jaceo hic sub marmore duro,
Istius adis eram presul & immeritus.
Peccavi fateor (quis enim offendisse negabit?)
Ast venia in Christo spes mihi firma fuit.
Qui nostrum gratis abstergit mor: e reatum,
Et nos non nostris justificat meritis.
Hanc spem vos fratres precibus votisq; jurate,
Manibus ut nostris pax sit & alta quies.
Ac mortis memores bene vivite, & usq; valete,
Sitq; eadem vobis post obitum requies.

IRIDEM.

Mortuus ecce licet jaceam, vivo tamen, & te
Hospes nil super hac morte timere velim.
Ipse abii, haud obii, nec mors hac vera putanda est;
Parte ego cum vivam nunc meliore mei.
Mors oculos tantum premit, & sopor occupat artus,
Purius ac melius mens animusq; vigent.
Membra operit tellus, ea donec Christus ab alto
Excitet: hac spes est, qua pia corda fovet.
Hanc precor hospes habe: hac discas cōtemnere leihum,
Et melius vitæ noxia quaq; feres.

ALIUD QUOD IPSE EPISCOP. DE SEIPSO
paulo ante mortem scripsit.

Inquiris hospes qui sim? non sum amplius.
Quid agam? putresco, & vermium greges alo.
Qui fuerim? ineptus Janus Olivarius,
Peccator unus omnium prae maximus.
Unde? urbe natus nobili in Lutetia.
Quo functus olim munere in republica?
Primum Archiabbas Andium: post Pontifex.

Qua otia? sacratas paginas evolvere.
 Quid hac in urna superat? ossa & cinis.
 At quó animus? hospes contine, scire hoc nefas,
 Arcana divum non decet scrutarier,
 Neu quid negoti sit Jovi cum manibus;
 Satis superq; nosse erit. fidelium
 Post fata mentes non mori: at quiescere,
 Donec resurgant in priorè corpore,
 Augustiore quàm antea, felicius
 Victura in ævum cum beatis omnibus.
 Jam nosti abundè qui fuerim. at altissimis
 Quando in tenebris nequeo te agnoscerè;
 Saltem hospes unum hoc tete ut agnoscas, rogo:
 Optesq; veram mortuis pacem omnibus.

ALIUD EJUSDEM.

Pedem viator siste, specta paululum.
 Hac alta moles, quam vides, non tollitur
 Surgitve in auras mortui hujus gratia.
 Cujus cadaver jam solutum in pulverem,
 Penitusq; adsum vermibus, non indiget
 Tot arte sculptis lapidum acervis obrui,
 Cui deesse tellus ne utiquam poterat levis.
 Sed nec sopore in tam profundo sensuum
 Pictis Chimæris aut notis inanibus
 Afficitur, ut vos vitam adhuc qui vivitis.
 Et quantum ad umbras luce cassas atinet,
 Tumuli levis jactura; & urna qui caret,
 Calo Joveq; melius tegitur, ut dictitant.
 Hic totus ergo tragicus ornatus tibi,
 Viator, positus est, & ob causam tuam,
 Oculos videlicet huc ut obvertas tuos,
 Et has Sophorum perlegas sententias.
 Queis subeat animo, temet esse obnoxium
 Fato, atq; vita tadeat miserrima:
 Qua nec horulam quidem obtineat unquam satis
 Tutam ac quietam mortis ab insultibus.
 Quacunq; spectas scilicet, eó maxime
 Spectant, ut hac memoria mortis te instruat.

Omnia caduca & fluxa, quæ ceu maxima
 Stupidi, leves, & inscii tam maximè
 Mirantur homines; more magnanimi Hercules,
 Ut monstra torva perdomare, ac fortiter
 Calcare, flocci, nauci, nihili pendere,
 Vitamq; puram heroicamq; ducere,
 Et quæ ad supremam illam & perennem gloriam
 Jugiter anhelet, quam Deus sperantibus
 In se paravit, ut optimus sic maximus:
 Collige viator, si hæc sapis, quid didiceris,
 Oculisq; quantum debeas hodie tuis.
 I jam, precare manibus pacem, & vale.

HUIC PULCHERRIMO SEPULCRO, QUO
 sequuntur sententiæ imaginibus heroum illorum sub-
 scriptæ, adjunctæ leguntur:

MOYSES.

Pulvis es, & in pulverem reverteris.

PRIAMUS.

Fuimus Troës: fuit Ilium.

ARISTOTELES.

Vita malis plena est, post mortem vera voluptas.

ORATOR.

Qui mortem metuit, Philosophus non est: quippe ali-
 am nescit vitam.

HORATIUS.

Debemur morti nos nostraq;.

OVIDIUS.

Morte carent animæ.

CICERO.

Nemo lugendam censet mortem, quam immortalitas
 sequitur.

PAULUS.

Bonam vitam mors bona commendat.

ANDEGAVENSIA.

589

DIOGENES.

Omnium rerum vicissitudo.

ÆSCHINES.

Pejus est morte, te mori, spe mortis.

CATO.

Spem retine: spes una hominem nec morte relinquit.

JUDAS MACAB.

Sancta & salutaris est cogitatio, pro defunctis exorare.

SENECA.

Nemo tam divos habuit faventes, crastinum ut posse
sibi polliceri.

SOLON.

Ante obitum nemo felix.

PLATO.

Tota vita sapientis, mortis est meditatio.

HIOB.

Homo quasi flos egreditur & conteritur.

PERSIUS.

Vive memor lethi: fugit hora.

JUVENALIS.

Mors sola fatetur, quanta hominum sint corpuscula.

VIRGILIUS.

Ubiq; luctus, ubiq; pavor, & plurima mortis imago.

MUSÆUS.

Mortuus in portu est; at nos jactamur in undis.

EURIPIDES.

O quam miserum est nescire mori!

TRISMEGISTUS.

Boni mortem, ut bonorum omnium maximū, optant.

DAVID.

Quis est homo & non videbit mortem?

Oo iij

ANDEGAVENSIA.

PTOLEMÆUS.

Nemo mortem hilaris excipit, nisi qui se ad eam diu
composuerit.

ORPHEUS.

Conciliat diuos Pietas, & tartara vincit.

BOETIUS.

Mors hominum felix.

HOMERUS.

Mors optanda viris: requies ea certa laborum.

PINDARUS.

Quid est ullus? quid nullus? umbræ somnium homo.

HESIODUS.

Corpus humum, cælos mens, spiritus appetit auras.

PAULUS.

Mihi vivere Christus est: & mori lucrum.

IDEM.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo.



GENEVENSIA.

IN ADITU CURIÆ.

Quum anno 1535. profligata Romani Antichristi ty-
rannide, abrogatisq; ejus superstitionibus, sacrosan-
cta Christi Religio hic in suam puritatem, Ecclesia in me-
liorem ordinem, singulari Dei beneficio, reposita; & si-
mul pulsis fugatisque hostibus urbs ipsa in suam liberta-
tem non sine insigni miraculo restituta fuerit: Senatus
Populusq; Genevensis monumentum hoc perpetuæ me-
moriæ causa fieri, atque hoc loco erigi curavit: Quo suam
erga Deum gratitudinem ad posteros testatam faceret.

IN PETRI.

Reverendus in Christo Dn. Amblardus Goyetus, J. U.
 Doctor, & Theologus insignis, Ap. Protonot. Abb. Filli-
 aci, Geben. Canon. pietate in Deum, & religione devo-
 tus, apud principes, nobiles & plebeios, consilio, gratia &
 liberalitate conspicuus, impio fato concessit, anno á cu-
 nis Christi 1517. 7. Martii.

*Parce precor lacrymis, fatum germane quid urges?
 Omnibus hac solido est scripta adamantæ dies.
 Pulvis & umbra sumus, tantum post funera virtus
 Nomen inextinctum sola superstes habet.
 Nil aurum, nil pompa juvat, nil sanguis avorum.
 Excipe virtutem, cetera mortis erunt.
 Hanc cole, & ante oculos imitanda exempla parentum
 Pone, sed interdum fit tibi cura mei.*

II.

Reverendus pater Petrus Grinetus Apostolicus Pro-
 ton. Geben. Canonicus, & generalis Vicarius meritissi-
 mus, Jurium Doctor celeberr. virtute, gratia & consilio
 potens, isto exanimis capulo tegitur, die sui obitus XXII.
 m. ix. Anno 1531. Orate pro eo.

*Qui nostra fuerat, custos gratissimus urbis,
 Virtutum decus & religionis honos,
 Prasule sub quinto sceptri donatus habenis,
 Nunc diro mortis subditur imperio.
 Marmore conclusus jacet & resupinus in antro,
 Astra tenet virtus, cetera pulvis habet.
 Disce tuum quisquis simili pede claudere passum,
 Et tergant oculos hac monumenta tuos.*

IBIDEM.

C. Plinio M. F. C. Fausto Ædili III. viro eq. Flam.
 C. Plinius Faustus, viro S.

T. Jul. T. F. Corn. Valeriano patrono Col. II. vir ær.
 III. vir locor. persequend. trib. milit. leg. VI. victr. præ-
 fect. fabr. Flam. Aug. Pontifici, Julia T. F. patri opt.

Oo ▼

VIENNÆ IN DEL-
PHINATU.

Virtute fortissimo, & pietate clementiss. D. N. Flavio
Constantino invictiss. max. pp. invicto. aug. M. Alf-
rus Apronianus, ut P. P. Flam. Viennæ devoto nummi
majestatiq̄ue eorum.

S. D. D. Flaminica Viennę tegulas æneas, auratas, cum
carpusculis & vestituris basium, & signa Castoris & Pol-
lucis cum equis, & signa Herculis & Mercurii, D. S. P.



LOTHARINGICA.

NANCEÆ IN LO-
THARINGIA.

IN ÆDE D. GREGORII, IN TA-
BULIS ARÆ ADFIXIS.

Carolus hoc busto Burgunda gloria gentis
Conditur, Europa qui fuit, ante timor.
Ganda rebellatrix hoc plebs domitore, cremata
Post patria leges, perpete pressa jūgo est.
Non minus hunc sensit, tellus Leodina cruentum,
Cum ferro & flammis urbs populata fuit.
Monte sub Heritio Francas cum rege cohortes,
In parvidam valido truserat ense fugam.
Hostibus expulsis Eduardum in regna locavit
Anglica, primo restituens solio.
Bella ducum, regumq̄, & Caesaris omnia spernens,
Totus in effuso sanguine latus erat.
Deniq̄, dum solitis fidit temerarius armis,
Atq̄, Lotharingo cum Duce bella movet:
Sanguineam vomuit, media inter pralia vitam,
Aureaq̄, hostili vellera liquit humo.

Ergo triumphator longaeva in secula Renatus,
 Palmam de tanto Principe victor habet.
 O tibi, qui terras quasisti Carole, cœlum
 Det Deus, & spretas antea pacis opes.
 Nunc dic Nanceios cernens ex æthere muros,
 A clemente ferox hoste recondor ibi.
 Discite terrenis quid sit considerare rebus.
 Hic totiens victor deniq; victus adest.

ALIUD IBIDEM.

Dux jacet hic Carolus, Belgarum illa ignea virtus,
 Cui Mars dederat bella gerenda pater.
 Quem timuit subitis animosus Gallus in armis,
 Cuiq; Alemannorum terga dedere duces.
 Quiq; animam Hesperias bellis agitabat in urbes,
 Sed subito invertit sors truculenta viam.
 Nam cum Ranerium bello sibi provocat hostem;
 Occubuit fuso milite stratus humi.
 Qua ne tanta viri laus intestata jaceret,
 Hoc victor victi condidit ossa loco.

JOVILLÆ.

Claudio à Lotharingia, Renati regis Siciliae filio, Guy-
 sæ & Aumaliæ Duci primo, Marchioni Mennæ, Jovil-
 læ Baroni, Campaniæ Senescalco: & in eo Comitatu pri-
 mùm, mox in Burgundiæ etiam Ducatu Proregi: magno
 Franciæ Chambellano: Gallor. Helvetior. ac Germanor.
 peditum Duci: turmæ centum cataphractor. equitum
 præfecto: optimo Principi, patris patriæ nomen adepto:
 parta insigni victoria de hæreticis ad Savernam Alfatia
 oppidum: & Burgundis ac Belgis civibus conservatis: im-
 matura morte, magno omnium dolore & luctu, extin-
 ctus: Antonia uxor Borbonia, marito incomparabili; &
 vi. filii pari pietate parenti optimè merito mœstissimi P.
 P. Vixit annos 54. m. 5. d. 26. an. p. Christum natum
 1550. pr. Idus Aprilis.

INSCRIPTIO ARCIS RE-
GIÆ BLESIS.

Hic ubi natus erat dextro Ludovicus Olympo,
Sum sit honorata regia sceptrā manu.
Felix qua tanti fulsit lux nuncia Regis,
Gallia non alio principe digna fuit.

Fauftus 1498.

AVINIONENSIA.
IN AVINIONEM JUL. CÆS.
SCALIGER.

Vivendi ratio cum libertate recepta,
Efficiunt ut sis altera Roma tibi.
Templa, forum, celso subducta palatia coelo,
Magna hac. te, plus est, dicere posse tuam.

IN PALATIO PAPÆ.

Clemens v. Pontif. absens electus anno 1305. Romam curiam Lugdunum transtulit.

Joannes xxii. Lugduni creatus, Avinionem primam se contulit, Benedictus Avinione creatus confedit ac moritur, palatii hujus prima ac majori parte constructa.

Clemens in sua obedientia vi. Avinione confedit, quo tempore Urbanus vi. Romæ Apost. sedi præerat, magne tunc orto schismate.

Benedictus in sua obedientia xiii. primò Petrus de Luna nuncupatus, in locum demortui Clement. vi. Avinione eligitur. Unde post in Hispaniam aufugit, ac in Constantiensi Concilio cū Gregorio xii. & Joan. xxiii. deponitur.

Marcellus ii. Pontif. Opt. Max. qui Pius, Secretarius Alexandri Farnesii R. E. C. Vicecancellarii ac legati Avinionen.

AVINIONENSIA.

589

nionen. fuerat, moritur in urbe xx. die sui Pontificatus
ann. M. D. L V.

IN FRANCISCI.

D. O. M. & memoriae aeternae D. Laurae cum pudici-
tia tum forma foem. incomparabilis, quae tamdiu vixit,
ut ejus memoria nunquam extingui possit: R. R. veterum
monumentorum peregrini indagatores, D. Christophorus de Allegre Eques Lusitanus, & D. Antonius di
Prat. praetor Parisiensis, & Gabriel Simonius Florentinus
Ἐδονίας χείρ, IV. Idus April. 1558.

Sola manet virtus, cetera mortis erunt.

IN OPPIDULO GALLIAE COL-
LEURE APUD BITURIGES, SE-
pultus est FRIDERICUS RANZOVIVS,
tali epitaphio Lutetiae Parisio-
rum facto.

FRIDERICUS RANZOVIVS Holsatus, patre na-
tus nobilissimo & amplissimo viro, HENRICO RAN-
ZOVIO, serenissimi Daniae Regis Consiliario, & in Hol-
satia Legato, domino haereditario in Bredenberg & Dra-
kenburg, &c.

Patris nempe fortissimi genuinam virtute filius,

Familiae columen, patriae lumen,

Equitum sub Comite Bassonpiero Magister,

Dum secunda Christianissimo Regi Galliarum sti-
pendia meret, & fugatis hostibus, rariori comi-
tatu, castris longius abscedit,

Naturae debitum latronum sceleri persolvit,

Et mortalis corporis mortales exuvias cum stola eccle-
siae commutavit;

Eas per magistratum horum locorum honorifice col-
lectas,

Et postea a nobilissimo viro Andrea Plessio cognato
cognitas,

Mercentes amici huic tumulo mandavere.

GALLICA.

*Patriâ procul, patre procul,
Procul sepulchris paternis.*

An hoc ille infelicioꝝ?

Non est, non est, viator.

Cur?

Fortibus & piis omne solum,

Ut patria est, ita sepulchrum.

Et hoc si didicisti

Viator; abi.

IN AGRO NEMAU-
SENSI.

D. M.

S Sylvius paternus uxori rariss. exempli, cum qua vivit
annos xxxi. sine ulla animi læsura E. S. V. P.

ANGLI

